



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

De Ecclesia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

Proinde non perturbēt nos iudicia aduersariorū, cuius
humanae opiniones contra Euangelium, contra aucto-
ritatem sanctorum Patrum, qui in Ecclesia scripserunt
contra piarum mentium testimonia defendunt.

DE ECCLESIA.

SEPTIMUM articulum confessionis nostrae de-
monstrauerunt, in quo diximus Ecclesiam esse congrega-
tionem sanctorum. Et addiderunt longā decla-
rationem, quod mali non sint ab Ecclesia segregandi
cū Iohannes comparauerit Ecclesiam arcam, in qua
tritricum & palea simul coaerata sint. Et Christus
comparauerit eam lagenam, in qua pisces boni & mali
sunt, &c. Profecto verum est, quod aiunt: Nullum
mediū esse aduersus Sycophantæ morsum. Nihil tam
circumspectè dici potest, vt calumniam euitare queat.
Nos ob hanc ipsam causam adiecimus octauum arti-
culum, ne quis existimaret nos segregare malos & hy-
pocritas ab externa societate Ecclesiae, aut adimere sa-
cramentis efficaciam, quae per hypocritas, aut malos
administrantur. Itaque hic non est opus longa defen-
sione aduersus hanc calumniam. Satis nos purgat arti-
culus octauus. Concedimus enim, quod hypocritae
mali in hac vita sint admixti Ecclesiae, & sint membra
Ecclesiae secundum externam societatem signorum
Ecclesiae, hoc est, verbi, professionis, & sacramentorum
praesertim si non sint excommunicati, Nec sacramenta
ideo non sunt efficacia, quia per malos tractantur, Im-
rectè vti possumus sacramentis, quae per malos admini-
strantur. Nam & Paulus praedicit futurū, vt Antichri-
stus sedeat in templo Dei, hoc est, in Ecclesia dominica
& gerat officia. At Ecclesia, non est tantum societas
externarum rerum ac rituum, sicut aliae politicae. Se-
principaliter est societas fidei & Spiritus sancti, in con-

dibus, quæ tamen habet externas notas, vt agnosci possit, videlicet puram Euangelij doctrinam, & administrationem sacramentorum consentaneam Euangelio Christi. Et hæc Ecclesia sola dicitur corpus Christi, quod Christus Spiritu suo renouat, sanctificat & gubernat, vt restatur Paulus Ephes. i. cum ait: Et ipsam dedit caput super omnia Ecclesie, quæ est corpus eius, videlicet, integritas, id est, tota congregatio ipsius, qui omnia in omnibus perficit. Quare illi, in quibus nihil agit Christus, non sunt membra Christi. Idq; fatentur aduersarij, malos esse mortua membra Ecclesie. Quare miramur, cur reprehenderint nostram descriptionem, quæ de viujs membris loquitur.

Neq; noui quidquam diximus, Paulus omnino eodem modo definiuit Ecclesiam Ephes. 5. quod purificetur, vt sit sancta, Et addit externas notas, verbum & sacramenta. Sic enim ait: Christus dilexit Ecclesiam, & se tradidit pro ea, vt eam sanctificet, purificans lauacro aquæ, per verbum, vt exhibeat eam sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neq; rugam, aut aliquid tale, sed vt sit sancta & inculpata. Hanc sententiam penè totidē verbis nos in confessione posuimus. Sic definit Ecclesiam & articulus in Symbolo, qui iubet nos credere, quod sit sancta catholica Ecclesia. Impij verò non sunt sancta Ecclesia, Et videtur additum, quod sequitur, sanctorum communio, vt exponeretur, quid significet Ecclesia, nempe congregationem sanctorum, qui habent inter se societatem, eiusdem Euangelij, seu doctrinæ, & eiusdem Spiritus sancti, qui corda eorum renouat, sanctificat & gubernat. Et hic articulus necessaria de causa propositus est. Infinita pericula videmus, quæ minantur Ecclesie interitum. Infinita multitudo est impiorum in ipsa Ecclesia, qui opprimunt eam. Itaque ne desperemus, sed sciamus, Ecclesiam tamē mansuram esse, Item, vt scia-

mus, quamuis magna multitudo sit impiorum, tamen Ecclesiā existere, & Christum præstare illa, quæ promittitur Ecclesiæ, remittere peccata, exaudire, dare Spiritum sanctū. Has cōsolationes proponit nobis articulus ille in Symbolo. Et Catholicā Ecclesiā dicit, ne intelligamus, Ecclesiam esse politiam externam certarum gentium, Sed magis homines sparsos per totum orbem qui de Euangelio consentiunt, & habent eundem Christum, eundem Spiritum sanctum, & eadem Sacramenta, siue habeant easdem traditiones humanas, siue dissimiles. Et in Decretis inquit glossa, Ecclesiam largè dictam complecti bonos & malos. Item, malos nominantur tantum in Ecclesia esse, non re, bonos verò re & nomine. Et in hanc sententiam multa leguntur apud Patres. Hieronymus enim ait: Qui ergo peccator est aliquis sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subiectus dici.

Quamquam igitur hypocritæ & mali sint socij huius, ius veræ Ecclesiæ secundū externos ritus, tamen eius definitur Ecclesia, necesse est eam definiri, quæ est verum corpus Christi, Item, quæ est nomine & re Ecclesia, Et multæ sunt causæ. Necesse est enim intelligi, quæ res principaliter efficiat nos membra, & viua membra Ecclesiæ. Si Ecclesiam tantum definiemus externam politiam esse bonorum & malorum, non intelligemus homines regnum Christi esse iustitiam cordis, & donationem Spiritus sancti, sed iudicabunt tantum externam obseruationem esse certorū cultuum ac rituum. Item, quid intererit inter populum legis, & Ecclesiam si Ecclesia est externa politia? At sic discernit Paulus Ecclesiam à populo legis, quòd Ecclesia sit populus spiritualis, hoc est, non ciuilibus ritibus distinctus gentibus, Sed verus populus Dei, renatus per Spiritum sanctum. In populo legis præter promissionem à Christo, habebat & carnale semen promissiones eternæ

corporalium, regni, &c. Et propter has dicebantur populus Dei, etiam mali in his, quia hoc carnale semen Deus separauerat ab alijs gentibus per certas ordinationes externas, & promissiones, Et tamen mali illi non placebant Deo. At Euangelium affert non umbram æternarum rerum, sed ipsas res æternas, Spiritum sanctum, & iustitiam, qua coram Deo iusti sumus. Igitur illi tantum sunt populus iuxta Euangelium, qui hanc promissionem Spiritus accipiunt. Adhæc Ecclesia est regnum Christi, distinctum contra regnum diaboli. Certum est autem impios, in potestate diaboli, & membra regni diaboli esse, sicut docet Paulus Ephes. 2. cum ait: Diabolum efficacem esse in incredulis. Et Christus inquit ad Phariseos, quibus certè erat externa societas cum Ecclesia, id est, cum sanctis in populo legis, Præerant enim, sacrificabant, & docebant: Vos ex patre diabolo estis. Itaque Ecclesia, quæ verè est regnum Christi, est propriè congregatio sanctorum. Nam impij reguntur à diabolo, & sunt captiui diaboli, non reguntur Spiritu Christi. Sed quid verbis opus est in re manifesta? Si Ecclesia, quæ verè est regnum Christi, distinguitur à regno diaboli, necesse est impios, cum sint in regno diaboli, non esse Ecclesiam. Quanquam in hac vita, quia nondum reuelatù est regnum Christi, sint admixti Ecclesiæ, & gerant officia in Ecclesia, Nec propterea impij sunt regnum Christi, quia reuelatio nondum facta est. Semper enim hoc est regnum Christi, quod Spiritu suo viuificat, siue sit reuelatù, siue sit tectù cruce. Sicut idem est Christus, qui nunc glorificatus est, antea afflictus erat. Et conueniunt huc similitudines Christi, qui clarè dicit Matth. 13. Bonum semen esse filios regni, at Zizania filios diaboli. Agrum dicit mundum esse, non Ecclesiam. Ita Iohannes de illa tota gente Iudeorum loquitur & dicit fore, ut vera Ecclesia separetur ab illo populo. Itaq; hic locus magis cõtra aduer-

larios facit, quam pro eis, quia ostendit verum & spiritualem populum, à populo carnali separandum esse. Et Christus de specie Ecclesie dicit, cum ait: Simile est regnum celorum lagenæ, aut decem virginibus, & docet, Ecclesiam testam esse multitudinem malorum, ne id scandalum pios offendat. Item, ut sciamus verbum & sacramenta efficacia esse, etsi tractentur a malis. Atque interim docet, impios illos, quamvis habeant societatem externorum signorum, tamen non esse verum regnum Christi, & membra Christi. Sunt enim membra regni diaboli. Neque verò somniamus nos Platoniam civitatem, ut quidam impie cavillantur, sed dicimus existere hanc Ecclesiam, videlicet verè credentes ac iustos sparsos per totum orbem. Et addimus notas, puram doctrinam Evangelij, & sacramenta. Et hæc Ecclesia propriè est columna veritatis. Retinet enim purum Evangelium, & ut Paulus inquit, fundamentum, hoc est, veram Christi cognitionem & fidem, etsi sunt in his etiam multi imbecilles, qui supra fundamentum ædificant stipulas perituras, hoc est, quasdam inutiles opiniones, quæ tamen, quia non evertunt fundamentum, tum condonantur illis, tum etiam emendantur. Ac sanctorum Patrum scriptæ stantur, quòd interdum stipulas etiam ædificaverunt supra fundamentum, sed quæ non evertunt fidem eorum. Verùm plerumque istorum, quæ adversarij nostri defendunt, fidem evertunt, ut quòd damnant articulum de remissione peccatorum, in quo dicimus debere accipi remissionem peccatorum. Manifestus item perniciosus error est, quòd docent adversarij, meritis homines remissionem peccatorum, dilectione erga Deum, ante gratiam, Nam hoc quoque est tollere fundamentum, hoc est, Christum. Item quid opus erit de, si sacramenta ex opere operato sine bono motu ventis iustificat? Sicut autem habet Ecclesia præmissionem, quòd semper sit habitura Spiritum sanctum

Ita habet comminationes, quod sint futuri impij doctores, & lupi. Illa verò est propriè Ecclesia, quæ habet Spiritum sanctum. Lupi & mali doctores etsi grassantur in Ecclesia, tamen non sunt propriè regnum Christi. Sicut & Lyra testatur, cum ait: Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis vel dignitatis Ecclesiasticæ vel secularis, quia multi principes & summi Pontifices & alij inferiores inuenti sunt apostatasse à fide, Propter quod Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est noticia vera & confessio fidei & veritatis. Quid aliud diximus nos in confessione nostra, quàm quod hïc dicit Lyra?

Sed fortassis aduersarij sic postulant definiri Ecclesiam, quod sit Monarchia externa suprema totius orbis terrarum, in qua oporteat Romanum Pontificem habere potestatem *ἀντιτύχου*, de qua nemini liceat disputare aut iudicare, condendi articulos fidei, abolendi scripturas, quas velit, instituendi cultus & sacrificia, Item condendi leges, quas velit, dispensandi & soluendi quibuscunq; legibus velit, diuinis, canonicis, & ciuilibus, à quo Imperator & reges omnes accipiant potestatem & ius tenendi regna, de mandato Christi cui cum Pater omnia subiecerit, intelligi oporteat hoc ius in Papam translatum esse. Quare necesse sit Papam dum totius orbis terrarum, omnium regnorum mundi, omniam rerum priuatarum & publicarum, habere plenitudinem potestatis in temporalibus & spiritualibus, habere vtrumq; gladium, spirituale & temporale. Atq; hæc definitio non Ecclesiæ Christi, sed regni Pontificij, habet auctores non solùm Canonistas, sed etiam Daniele cap. 11.

Quod si hoc modo definiremus Ecclesiam, fortassis haberemus æquiores Iudices. Multa enim extant immoderatè & impiè scripta de potestate Rom. Pontificis, propter quæ nemo vnquã reus factus est. Nos soli plectimur, quia prædicamus beneficium Christi, quod

fide in Christum consequamur remissionem peccato-
 rum, non cultibus excogitatis à Pontifice. Porro Chri-
 stus, Prophetæ & Apostoli, longè aliter definiunt Ec-
 clesiam Christi, quam regnum Pontificium. Nec est ad
 Pontifices transferendum, quod ad veram Ecclesiam
 pertinet, quod videlicet sint columnæ veritatis, quæ
 non errent. Quotusquisq; enim curat Euangelium, aut
 iudicat dignum esse lectione? Multi etiam palam irri-
 dent religiones omnes, aut si quid probant, probant il-
 la, quæ humanæ rationi contentanea sunt, Cætera fa-
 bulosa esse arbitrantur, & similia tragædijs Poëtarum.
 Quare nos iuxta scripturas sentimus, Ecclesiam prop-
 riè dictam esse congregationem sanctorum, qui vere
 credunt Euangelio Christi, & habet Spiritum sanctum.
 Et tamen fatemur, multos hypocritas & malos his
 hac vitâ admixtos, habere societatem externorum si-
 gnorum, qui sunt membra Ecclesiæ secundum socie-
 tatem externorum signorum. Ideoq; gerunt officia in
 Ecclesia. Nec adimit Sacramentis efficaciam, quod pe-
 indignos tractantur, quia repræsentant Christi perso-
 nam, propter vocationem Ecclesiæ, non repræsentant
 proprias personas, ut testatur Christus: Qui vos audit,
 me audit. Cùm verbum Christi, cùm sacramenta por-
 rigit, Christi vice & loco porrigit. Id docet nos illa
 vox Christi, ne indignitate ministrorum offendamur.
 Sed de hac re satis clarè diximus in confessione, nos
 improbare Donatistas, & Vigileuistas, qui senterunt ho-
 mines peccare, accipientes sacramenta ab indignis in
 Ecclesia. Hæc in præsentia videbantur sufficere ad de-
 fensionem descriptionis Ecclesiæ, quam tradidimus.
 Neq; videmus, cum Ecclesia propriè dicta, appelletur
 corpus Christi, quomodo aliter describenda fuerit,
 quam nos descripsimus. Constat enim impios ad re-
 gnum & corpus diaboli pertinere, qui impellit & habet
 captiuos impios. Hæc sūt luce meridiana clariora, quæ

tamen

tamen si pergent calumniari aduersarij, non grauabimur copiosius respondere.

Damnant aduersarij & hanc partem Septimi articuli, quòd diximus ad veram vnitatem Ecclesiæ, satis esse consentire de doctrina Euangelij, & administratione Sacramentorum, nec necesse esse, vbiq, similes traditiones humanas esse, seu ritus aut ceremonias ab hominibus institutas. Hic distinguunt vniuersales & particulares ritus, & probant articulum nostrum, si intelligatur de particularibus ritibus, De vniuersalibus ritibus, non recipiunt. Non satis intelligimus, quid velint aduersarij. Nos de vera, hoc est, spiritali vnitare loquimur, sine qua non potest existere fides in corde, seu iustitia cordis coram Deo. Ad hanc dicimus non esse necessariam similitudinem rituum humanorum, siue vniuersalium siue particularium, quia iustitia fidei, nõ est iustitia alligata certis traditionibus, sicut iustitia legis erat alligata Mosaicis ceremonijs, quia illa iustitia cordis, est res viuificans corda. Ad hanc viuificationem nihil conducunt humanæ traditiones, siue vniuersales, siue particulares, nec sunt effectus Spiritus sancti, sicut castitas, patientia, timor Dei, dilectio proximi, & opera dilectionis.

Nec leues causæ fuerunt, cur hunc articulum poneremus. Constat enim multas stultas opiniones de traditionibus serpsisse in Ecclesiã. Nonnulli putauerunt, humanas traditiones necesarios cultus esse ad promerendam Iustificationem. Et postea disputauerunt, qui fieret, quòd tanta varietate coleretur Deus, quasi verò obseruationes illæ essent cultus, & non potius externæ & politicæ ordinationes, nihil ad iustitiã cordis seu cultum Dei pertinentes, quæ alibi casu, alibi propter quasdam probabiles rationes variant. Item aliæ Ecclesiæ, alias propter tales traditiones excommunicauerunt, vt propter obseruationem Paschatis, picturas

& res similes. Vnde imperiti existimauerunt, fidem seruilitiam cordis coram Deo, non posse existere sine observationibus. Extant enim de hoc negotio multa neptæ scripta Summistarum & aliorum.

Sed sicut dissimilia spacia dierum ac noctium non laedunt unitatem Ecclesiæ, Ita sentimus non lædi unitatem Ecclesiæ dissimilibus ritibus institutis ab hominibus. Quanquam placet nobis, ut uniuersales ritus propter tranquillitatem seruentur. Sicut & nos in Ecclesijs ordinem Missæ, diem Dominicum, & alios dies festos celebriores libenter seruamus, Et gratissimo animo amplectimur vitales ac veteres ordinationes, præsertim cum contineant pædagogiam, qua prodest populum & imperitos assuefacere ac docere, Sed non disputamus nunc, an conducat propter tranquillitatem aut corporalem utilitatem seruare. Alia res agitur. Disputatur enim, Vtrum observationes traditionum humanarum sint cultus necessarij ad iustitiam coram Deo. Hoc est *χρὶσόμενον* in hac controuersia, quo constructo postea iudicari potest, Vtrum ad veram unitatem Ecclesiæ necesse sit ubiq; similes esse traditiones humanas. Si enim traditiones humanæ non sunt cultus necessarij ad iustitiam coram Deo, Sequitur posse iustos & filios Dei esse, etiam si quas traditiones non habent, quæ alibi receptæ sunt. Ut si forma vestitus Germanicæ non est cultus Dei necessarius ad iustitiã, coram Deo, Sequitur posse iustos ac filios Dei & Ecclesiã Christi esse, etiam si qui utantur non Germanico, sed Gallico vestitu. Hoc clarè docet Paulus ad Col. cum ait: Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut memoria, aut sabbatorum, quæ sunt ymbra futurorum, corpus autem Christi. Item Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc tanquam uiuentes mundo decreta facitis? Ne tetigeritis, neq; gustaueritis, neq; contrectaueritis, quæ omnia pereunt, vii consumpta, & sunt

præcepta & doctrinæ hominum, speciem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate. Est enim sententia: Cum iustitia cordis sit res spiritualis, viuificans corda, & constet, quod traditiones humanæ non viuificent corda, nec sint effectus Spiritus sancti, sicut dilectio proximi, castitas, &c. nec sint instrumenta, per quæ Deus mouet corda ad credendum, sicut verbum & sacramenta diuinitus tradita, sed sint vsus rerum nihil ad pertinentium, quæ vsu pereant, non est sentiendum, quod sint necessariae ad iustitiam coram Deo. Et in eadem sententiam inquit Rom. 14. Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia & pax & gaudiû in Spiritu sancto. Sed non est opus citare multa testimonia, cum ubiq; sint obuia in scripturis, & nos plurima in confessione congesserimus in posterioribus articulis. Et huius controuersie *κρινόμενον* infra paulò post repetendum erit, videlicet, Vtrû traditiones humanæ sint cultus necessarij ad iustitiam coram Deo? Vbi de hac re copiosius disputabimus. Aduersarij dicunt, vniuersales traditiones ideo seruandas esse, quia existimentur ab Apostolis traditæ esse. O Religiosos homines, Ritus ab Apostolis sumtos retineri volunt, Non volunt retineri doctrinam Apostolorum. Sic iudicandum est de ritibus illis, sicut ipsi Apostoli in suis scriptis iudicant. Non enim voluerunt Apostoli nos sentire, quod per tales ritus iustificemur, quod tales ritus sint res necessariae ad iustitiam coram Deo. Non voluerunt Apostoli tale onus imponere conscientijs, non voluerunt iustitiã & peccatum collocare in obseruationibus dierum, ciborum, & similium rerum. Imò Paulus appellat huiusmodi opiniones, doctrinas dæmoniorum. Itaq; voluntas & consilium Apostolorum ex scriptis eorum quæri debet, non est satis allegare exemplum. Seruabant certos dies, non quod ea obseruatio ad iustificationem necessaria esset, sed vt populus sciret, quo tempore conueni-

endum esset, seruabant & alios quosdam ritus, et
 nem lectionum, si quando conueniebant. Quædam
 iam ex patrijs moribus, vt sit, retinebat populus, et
 Apostoli nonnihil mutata, ad historiam Euangelij
 commodauerunt, vt Pascha, Pentecostē, vt non solum
 docendo, sed etiam per hæc exempla memoriam re-
 ximarum rerum traderent posteris. Quod si hæc
 dita sunt, tanquam necessaria ad iustificationem, co-
 nis ipsis postea multa mutarunt Episcopi? Quod si
 tant iuris diuini, non licuit ea mutare autoritate
 mana, Pascha ante Synodum Nicenam, alij alio te-
 pore seruabant. Neq; hæc dissimilitudo laetit fide
 Postea ratio inita est, ne incideret nostrū Pascha in
 iudæi Paschatis tempus. At Apostoli iusserant Eccle-
 sias seruare Pascha, cum fratribus cōuersis ex Iudæis
 itaq; hunc morem quædam gentes pertinaciter per
 Synodum Nicenam retinuerunt, vt Iudæicum tempus
 obseruarent. Verūm Apostoli decreto illo non volu-
 erunt Ecclesijs imponere necessitatem, Id quod verum
 Decreti testantur. Iubent enim, ne quis curet, etiam
 fratres seruantes Pascha, non rectē supputent tempus
 Verba Decreti extant apud Epiphanium, *ἡμεῖς μὴ
 φίζετε, ἀλλὰ ποιεῖτε, ὅταν οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν, οἱ οὐκ
 εἰσομῆς, μετ' αὐτῶν ἅμα ποιεῖτε, καὶ οὕτως πλανη-
 μηδὲν ὑμῖν μελέτω.* Hæc scribit Epiphanius verba
 Apostolorum in Decreto quodam posita de Pascha
 in quibus prudens lector facillè potest iudicare, Ap-
 stolos voluisse populo stultam opinionem de neces-
 sitate certi temporis eximere, cum prohibent curam
 etiam si in supputando erretur. Porro quidam in om-
 te, qui Audiani appellati sunt ab autore dogmatis, pro-
 pter hoc decretum Apostolorum contenderūt Pascha
 cum Iudæis seruandum esse. Hos refellens Epiphanius
 laudat Decretum, & inquit, nihil continere, quod

sentiat a fide aut Ecclesiastica regula, & vituperat Audianos, quod non rectè intelligant τὸ ἐν τῷ, & interpretatur in hanc sententiam, in quam nos interpretamur, quod non senserint Apostoli referre, quo tempore seruaretur Pascha, Sed quia præcipui fratres ex Iudæis cõuersi erant, qui morem suum seruabant, horum exemplum propter concordiam voluerint reliquos sequi. Et sapienter admonuerunt lectorem Apostoli, se neq; libertatem Euangelicam tollere, neq; necessitatem conscientijs imponere, quia addunt, non esse curandum, etiamsi erretur in supputando.

Multa huius generis colligi possunt ex historijs, in quibus apparet, dissimilitudinem humanarum obseruationum non lædere vnitatem fidei. Quanquam quid opus est disputatione? Omnino quid sit iustitia fidei, quid sit regnum Christi, nõ intelligunt aduersarij, si iudicant, necessariam esse similitudinem obseruationum in cibis, diebus, vestitu, & similibus rebus, quæ non habent mandatum Dei. Videte autem religiosos homines, aduersarios nostros, Requiritur ad vnitatem Ecclesiæ, similes obseruationes humanas, cum ipsi mutaent ordinationem Christi, in vsu Cœnæ, quæ certè fuit antea ordinatio vniuersalis. Quod si ordinationes vniuersales necessariae sunt, cur mutant ipsi ordinationem Cœnæ Christi, quæ non est humana, sed diuina? Sed de hac tota controuersia infra aliquoties dicendum erit.

OCTAVVS articulus approbatus est totus, in quo confitemur, quod hypocritæ & mali admixti sint Ecclesiæ, Et quod sacramenta sint efficacia, etiamsi per malos ministros tractentur, quia ministri funguntur vice Christi, non repræsentant suam personam. Iuxta illud: Qui vos audit, me audit. Impij doctores deserendi sunt, quia hi iam non funguntur persona Christi, sed sunt Antichristi. Et Christus ait: Cauete a pseudoprophetis. Et Paulus: Siquis aliud Euangelium euangelizauerit, anathema si

Cæterùm monuit nos Christus in collationibus Ecclesia, ne offensi priuatis vitijs siue sacerdotum aut populi, schismata excitemus, sicut sceleratè fecerunt Donatistæ. Illos verò, qui ideo excitauerunt schisma quia negabant sacerdotibus licere, tenere possessionem aut proprium, planè seditiosos iudicamus. Nam tenentium proprium ciuilibus ordinatio est. Licet autem Christus in vti ciuilibus ordinationibus, sicut hoc aère, hæc ce, cibo, potu. Nam vt hæc rerum natura, & hi fidei certi motus, verè sunt ordinatio Dei, & conseruantur à Deo, ita legitimæ politix verè sunt ordinatio Dei & retinentur ac defenduntur à Deo aduersus Diabolum.

NONVS articulus approbatus est, in quo confirmatur, quòd Baptismus sit necessarius ad salutem, quòd pueri sint baptizandi, & quòd baptismus paruulorum nõ sit irritus, sed necessarius, & efficax ad salutem. Et quoniam Euangelium purè ac diligenter apud nos docetur, Dei beneficio hunc quoq; fructum excolimus, quòd in Ecclesijs nostris nulli extiterunt abapostata baptistæ, quia populus verbo Dei aduersus impiam seditiosam factionem illorum latronum munitus est. Et cum plærosq; alios errores Anabaptistarum confutamus, tum hunc quoq; quòd disputant baptizandum paruulorum inutilem esse. Certissimum est enim, quod promissio salutis pertinet etiam ad paruulos. Neque rò pertinet ad illos, qui sunt extra Ecclesiam Christi, vbi nec verbum, nec sacramenta sunt, quia regnum Christi tantum cum verbo & sacramentis existit. Igitur necesse est baptizare paruulos, vt applicetur eis promissio salutis, iuxta mandatum Christi: Baptizate omnes gentes, Vbi sicut offertur omnibus salus, ita offertur omnibus baptismus, viris, mulieribus, pueris, infantibus. Sequitur igitur clarè, infantes baptizandos esse, quia salus cum baptismo offertur.

Secundo. Manifestum est, quod Deus approbat baptismum paruulorum. Igitur Anabaptistæ impiè sentiunt, qui damnant baptismum paruulorum. Quòd autem Deus approbet baptismum paruulorum, hoc ostendit, quòd Deus dat Spiritum sanctum sic baptizatis. Nam si hic Baptismus irritus esset, nullis daretur Spiritus sanctus, nulli fierent salui, deniq; nulla esset Ecclesia. Hæc ratio bonas & pias mentes, vel sola satis confirmare potest contra impias & fanaticas opiniones Anabaptistarum.

DE TERTIO articulo approbatus est, in quo confitemur, nos sentire, quòd in Cœna Domini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & verè exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his qui sacramentum accipiunt. Hanc sententiam constanter defendimus re diligenter inquisita & agitata. Cùm enim Paulus dicat, Panem esse participationem corporis Domini, &c. Sequeretur panem non esse participationem corporis, sed tantùm spiritus Christi, si non adesset verè corpus DOMINI. Et comperimus non tantùm Romanam Ecclesiam affirmare corporalem præsentiam Christi, sed idem & nunc sentire, & olim sensisse Græcam Ecclesiam. Id enim testatur Canon Missæ apud illos, in quo apertè orat sacerdos, vt mutato pane, ipsum corpus Christi fiat. Et Vulgarius, scriptor, vt nobis videtur, non stultus, disertè inquit, panem non tantùm figuram esse, sed verè in carnem mutari. Et longa sententia est Cyrilli, in Iohannem cap. 15. in qua docet, Christum corporaliter nobis exhiberi in Cœna. Sic enim ait: Non tamen negamus recta nos fide caritateq; sincera, Christo spiritualiter coniungi, Sed nullam nobis coniunctionis rationem secundùm carnem

cum illo esse, id profectò pernegamus, Idq; a dñi scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dicit, Christum etiam sic vitem esse, nos verò palmam qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem, quia omnes vnum corpus sumus in Christo, et etsi multi sumus, vnū tamen in eo sumus. Omnes enim vno pane participamus. An fortasse putat ignota tibi mysticæ benedictionis virtutē esse? quæ cum in te bis fit, nonne corporaliter quoq; facit, comunicatio carnis Christi, Christum in nobis habitare? Et patet post: vnde considerandum est, non habitudine solius quæ per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiã participatione naturali, &c. Hæc recitamus, non vt hîc disputationē de hac re institueremus. Non enim improbat hunc articulum Cæs. Maiestas, vt clariùs etiam perspicereat, quicunq; ista legent, defendere receptam in tota Ecclesia sententiam, quod in Cœna Domini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & verè exhibeantur cum his rebus quæ videntur, pane & vino, & loquimur de præsentia veri Christi, Scimus enim quòd mors ei ultra non dominabitur.

VNDECIMVS articulus de retinenda Absolutione in Ecclesia probatur, Sed de Confessione additur correctionem, videlicet, obseruandam esse constitutionem cap. Omnis vtriusq; , vt & quotannis fiat confessio, & quamuis omnia peccata enumerari non queant, tamen diligentiam adhibendam esse, vt colligantur illa, quæ re ligi in memoriam possunt, recensentur. hoc totò articulo dicemus paulò post copiosius, et sententiam nostram de pœnitentia totã explicabimus. Constat nos beneficium Absolutionis, & potestatem clauium, ita illustrasse & ornauisse, vt multæ afflictionis conscientia, ex doctrina nostrorum, consolatione conceperint, postquam audiuerunt, mandatum D.

esse, imò propriam Euangelij vocem, vt Absolutioni credamus, & certò statuamus, nobis gratis donari remissionem peccatorum, propter Christum, & sentiamus verè nos hac fide reconciliari Deo. Hæc sententia, multas pias mentes erexit, & initio commendationem maximam, apud omnes bonos viros attulit Luthero, cum ostendit certam & firmam consolationem conscientijs, quia antea tota vis Absolutionis erat oppressa doctrinis operum, cum de fide, & gratuita remissione nihil docerent Sophistæ & Monachi.

Cæterum de tempore, certè in Ecclesijs nostris plurimi sæpe in anno vtuntur sacramentis, Absolutione, & Cœna Domini, Et qui docent, de dignitate, & fructibus sacramentorum, ita dicunt, vt inuitent populū, vt sæpe vtantur sacramentis, Extant enim de hac re multa nostris ita scripta, vt aduersarij, si qui sunt boni viri, haud dubiè probent ac laudent. Denunciatur & excommunicatio flagitiosis & contemtoribus sacramentorum, Hæc ita fiunt, & iuxta Euangelium, & iuxta veteres Canones, Sed certum tempus non præscribitur, quia non omnes pariter eodem tempore idonei sunt, Imò si accurrant eodem tempore omnes, nõ possunt ordine audiri, & institui homines. Et veteres Canones ac Patres, non constituunt certū tempus, Tantum ita dicit Canon: Si qui intrant Ecclesiam Dei, & deprehenduntur nunquam communicare, admonentur, Quòd si non commun cant, ad poenitentiam accedant. Si communicant, non semper abstineant, Si non fecerint, abstineant. Christus ait illos sibi iudicium manducare, qui manducant indignè. Ideo pastores nõ cogunt hos, qui non sunt idonei, vt sacramentis vtantur.

De Enumeratione peccatorum in Confessione, sic docentur homines, ne laquei iniiciantur conscientijs. Etiam si prodest rudes assuefacere, vt quædã enumeret, vt doceri facilius possint. Verum disputamus nunc,

quid

quid sit necessarium iure diuino. Non igitur debet aduersarij nobis allegare constitutionem, Omnis usq; quæ nobis non est ignota, sed ex iure diuino dedere, quòd enumeratio peccatorum sit necessaria consequendam remissionem. Tota Ecclesia peruersam Europam scit, quales laqueos intecerit contentijs illa particula constitutionis, quæ iubet omnia peccata confiteri. Nec tantum habet incommoditatis per se, quantum postea affinxerunt Summistæ, colligunt circumstantias peccatorum, quales ibi byrinthi, quanta carnificina fuit optimarum morum? Nam feros & prophanos ista terribilia nihil mouebant.

Postea quales tragedias excitauit quæstio, de proprio sacerdote inter Pastores, & fratres, qui tunc memè erant fratres, cum de regno confessionum bellorabantur. Nos igitur sentimus enumerationem peccatorum non esse necessariam iure diuino, Idq; placet normitano & plerisq; alijs eruditis Iurisconsultis. volumus imponere necessitatem conscientijs nostrum per constitutionem illam, Omnis vtriusq; perinde iudicamus, vt de alijs traditionibus humanis de quibus sentimus, quòd non sint cultus ad iustitiam necessarii. Et hæc constitutio rem impossibilem præcipit, vt omnia peccata confiteamur. Contra autem, plurima nos nec meminisse, nec intelligere, ta illud: Delicta quis intelligit?

Si sint boni Pastores, scient quatenus profitentur rudes, sed illam carnificinam Summistarum confirmare non volumus, quæ tamen minùs fuisset intolerabilis, si verbum vnum addidissent, de fide conscientias & erigente conscientias. Nunc de hac fide consequente remissionem peccatorum, nulla est syllaba in mole constitutionũ, glossarum, Summarum, Confessionarium, Nusquam ibi Christus legitur, Tantum

guntur supputationes peccatorum, Et maxima pars consumitur in peccatis, contra traditiones humanas, quæ est vanissima. Hæc doctrina adegit multas pias mentes ad desperationem, quæ non potuerunt acquiescere, quia sentiebant, Iure diuino necessariam esse enumerationem, & tamen experiebantur impossibilem esse. Sed hærent alia non minora vitia in doctrina aduersariorum de poenitentia, quæ iam recensēbimus.

DE POENITENTIA.

IN articulo duodecimo probant primam partem, qua exponimus, Lapsis post Baptismum contingere posse remissionem peccatorum, quocunq; tempore, & quotiescunq; conuertuntur. Secundam partem damnant, in qua poenitentia partes dicimus esse contritionem & fidem. Negant fidem esse alteram partem poenitentia. Quid hic, Carole, Cæsar Inuictissime, faciamus? Hæc est propria vox Euangelij, q; fide consequamur remissionē peccatorum. Hanc vocē Euangelij damnant isti scriptores cōfutationis. Nos igitur nullo modo assentiri cōfutationi possumus. Nō possumus saluberrimā vocem Euangelij, & plenā cōsolationis damnare. Quid est aliud negare, quòd fide consequamur remissionem peccatorum, quàm contumelia afficere sanguinem & mortem Christi? Rogamus igitur te, Carole, Cæsar Inuictis, vt nos de hac re maxima, quæ præcipuum Euangelij locum, quæ veram Christi cognitionem, quæ verum cultum Dei continet, patienter ac diligenter audias & cognoscas. Comperient enim omnes boni viri, nos in hac re præcipuē docuisse vera, pia, salubria, & necessaria vniuersæ Ecclesiæ Christi. Comperient ex scriptis nostrorum plurimum lucis accessisse Euangelio, & multos perniciosos errores emendatos esse, quibus antea obruta fuit doctrina de